

In Carinthia Huchae rubrae (Rot Huechen) quaedam cognominantur a fluviis, eas Salmoni comparant: carne etiam rubra et boni saporis esse ajunt, et saliri ut inveterentur, solere: quod quomodo fiat Balthasar Stendelius ad finem lib. 4. Opsopoeiae suae Germanicae docet. Colores hujus piscis in pictura nostra hujusmodi fere apparent. Aureolus color passim aspersus est, copiosius tamen circa branchias et oculos. *Pinnae* circa branchias rubicundae sunt: caeterae omnes, sicut et *cauda*, fuscae et maculosae punctis partim nigricantibus, partim aureis. *Dorsum* fuscum est, utrimque ad Indicum vel caeruleum

colorem vergens, ubi et punctis nigris creberrimis distinguitur. *Linea* nigra et recta fere a branchiis ad caudam fertur, Latera media maculis quibusdam subcaeruleis per intervalla distinguuntur. *Venter* candicat. Circa *rostrum* et branchiarum opercula roseus fere color, etc. in capite etiam viridis aliqua ex parte. Huchas istas quidam icone nostra inspecta in quibusdam Germaniae locis ali, in piscinis nobis referebant: et in Traga flumine Carinthiae reperiri, aetatis progressu in Salmones converti (specie rostri nimirum) sicut et lacustres Truttae, quanquam et aliae Truttae Salmonum speciem prae se ferunt.

CAPVT III.

De Thymallo.

TAB. XXVI.

3. 4.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 14.Aelian. H.
A. lib. 14.
c. 22.

Thymalli solus Aelianus inter Graecos, Ambrosius inter Latinos mentionem faciunt. A Thymo quem olet ita dici, Salvianus contendit. Bellonius Thymum vocavit. Itali Temarum, quasi temerarium, quod stolidus piscis, dicunt. Truttarum generis esse, cum pinnarum situs, tum totius corporis figura indicant. Eratque Aelianus Truttis, si eas notas sibi habuisset, potius quam vel Lupis vel Cephalis, quorum communem et mediam speciem similitudinemque gerere scribit, assimilaturus: quanquam et his non absimilis multum: similior interim Mugili, quam Lupo. Caput pro corporis ratione parvum, in acutum tendit. Os aperitur non longo, sed quadrato fere hiatu. *Ventre* est prominentiore. Rondeletius latiore, magisque ventrosus pinxit, quam par est. *Pinnas* duas habet ad branchias, duas alias in ventre inferiore, a podice unam. In dorso prior magna est, maculis multis pulchris varia: infra partim nigris, partim subrubentibus, supra rubicundis tantum. *Cauda* in duas latas pinnas desinit. Rondeletius corpore ait esse caeruleo: Bellonius vero tergus ex livido in opacum tendere, et Gesnerus fuscum id, vel subcinereum facit: At qui hic exprimitur, Rondeletius scribit: fierique

potest, quod vel loci, vel aetatis ratione evariet. Lineas per latera rectas habet, quarum quae ea dividit a superiori branchiae angulo spineo oritur, et recta ad caudam defertur: sunt et aliae per totum corpus non paucae, singulaeque per singulos squammarum versus, non rectae, sed innumeris veluti arcubus, minimis triangulis uncatae; quod veluti operosum pictores nostri, inquit Gesnerus, non indicarunt. Obscure sane et in meo pisce quem ad vivum depictum in museo reservo, pictor eas expressit. Latera praeterea modo pluribus, modo paucis punctis et lituris nigris temere asperguntur.

Vidisse se idem Gesnerus in fine Decembris aliquando singulis tantum utrimque ad branchias *lituris* insignem scribit; aliumque initio Junii, uno altero puncto vix apparente. *Squammae* ex ejusdem observatione, singulae fere *ρομβοειδεις* sunt, hoc est, rhombi figuram imitantur. Latera enim, inquit, earumque utrimque circuli segmentum referunt, supra vero infraque in cunei acumen tendunt, quod tamen in iconibus suis expressum negat. *Branchias* habet utrimque quaternas, et ut Bellonius addit, Flarengi et Sardinae modo, solidioribus horrent, uncinatisque ossiculis constant. Idem Bellonius *linguam* ostendere